



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Illvstrivm Societatis Iesv. siue in Anni dies
digestæ Mortes Illvstres Eorum qui ex eadem Soc. Iesu, in
odium fidei, pietatis, &c. ... confecti sunt**

Nádasi, János

Romæ, 1657

Ianvarivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44029

I
IANVARIVS.

P. Ioannes Pelletarius

Primus Collegijs, Ro-
mano, ac deinde Fer-
rariensi nascentibus

Gallus.
Tolose
obijt 1. Ian
1564.

Rector datus est ab ipso S. P.
Ignatio. Ferrariæ Renata
Herculis Ducis coniunx, Lu-
douici Gallix Regis filia,
cum illo contulit de hæresi
cum orthodoxæ fidei veri-
tate commutandâ; & hære-
sim exiit: simulque vniuer-
sa vitæ peccata in Sacra-
mento poenitentix, illo con-
fessario ysa, deposuit. Multa
ille postea doctè, religiosè,
fortiterque pro re Catholi-
câ gessit Apamijs; quicquid
cōtra fremerent, turbarent-
que hæretici: quorum furo-
re deiectam Deiparæ sta-

Fides

B.V.

A tuam,

2 *Anni dierum illustrium*

Sabbatū .

Fides .

Humilitas

tuam , magnificâ supplica-
tione institutâ , palàm suo
loco restituit ; cōcione quot-
hebdomadis die Sabbati de
cultu illius habitâ ; & Ortho-
doxis ad illam vicatim sono
tintinnabuli inuitatis . Vn-
de glorioso planè cogno-
mento , DIVÆ MARIÆ
DOCTOR est appellatus .
Ibidem ab hæreticis datus
est in vincula ; sed à Catho-
licis exemptus , Tolosamque
deductus , ibi demum à glo-
riosis pro fide susceptis la-
boribus requieuit , veneno
(quod ei ab hæreticis clam
propinatum affirmant) sen-
sim gliscente in venas , &
omnem artis medicæ indu-
striam superante . Libenter
latebat Ioannes suâ se hu-
militate inuoluens , etiam
in illo splendore famę . Qua-
re

re & Cadurcensis Episcopa-
tus infulam sibi oblatam, de-
missè à suo capite auertit,
vir quàm excelsus ad vindi-
cias Catholicæ fidei vbique
facièdas, tam humilis; adeò-
que ingentes Tolosanæ vr-
bis laudes, lachrymasque,
quibus extinctum prosequen-
bantur, abundè commeritus
tantâ illâ suâ eloquentiæ,
laborum, charitatis, atque
angusti ad ardua contra he-
terodoxos pro Catholicis
agenda & ferenda pectoris
granditate. Certè vel ge-
mino illo elogio fuit insi-
gnitè commemorabilis, quo-
rum altero S. *MARIAE Do-* *B. V.*
ctor passim in Gallia; altero *Superior.*
Sanctus Rector à S. P. Ignatio,
vt fama est, audiebat.

P. Petrus Mascarenia.

Hunc hoc die veneno ab

A 2 Ethni-

4 *Anni dierum illustrium*

Lusitanus.
in Regno
Manadæ.
7. Ianuar.
1583.

Fides pro-
pagata.

Ethnicis propinato interne-
ctum affirmat Index eorum
qui in Christi odium è vita
sublati sunt. Salsetanos pa-
gos sexaginta sex primus
excoluit. Apud Ternaten-
ses templum condidit: apud
Selebes Moluco vicinios,
Sionium & Manadium Re-
gulos, Regem item Sāgium,
Reginam, Proceres plures
quà ibi, quà alibi, Christi
vexillo subiecit. Ad necem
quæsitus à barbaris Euange-
lio infensis, per octo dies in
silua latuit, herbisque victi-
tauit. Aliàs ab ijsdem in-
dagine cinctus, mirè tamen
per montem se ac prærupta,
deuoluens euasit. Aiunt il-
lum, cum haud indiligenter
quæreretur, ab ijs repertum,
& visum: sed illi feram esse
rati, non hominem quem in-
da-

dagabant, eum innoxium
omisere: nec deest qui illos
fugisse affirmet. Fœminam
ab alui profluio, acerrimis-
que doloribus, adeoque à
vitæ discrimine, liberauit
confestim ac Euangelium
ritè super eam recitauit, ora-
tione adiectâ. Virum bien-
nio paralyticum, lectoque
affixum eodem Euangelij
ac orationis alexipharmaco
persanauit. Illud verò sibi
longè tenerrimo fuisse sola-
tio affirmauit, quòd cum è
monte subiectum pagum
non sinè commiseratione
(quippe à Dei veri cultu
alienum) aspiceret, repen-
tè pueri vocem è valle sese
efferentem audiuerit, dicen-
tis: *In nomine Patris, & Fi-
lij, & Spiritus Sancti.* quâ vo-
ce ad agendum & patien-

Oratio.

*SSS. Tri-
nitas.*

6 *Anni dierum illustrium*

dum summa omnia maximoperè exarsit, in loco illo horroris laudem SSS. TRINITATIS perfici dulcissimè gratulatus.

Ambrosius Fernandez. Coad.

*Lusitan^o
obijt in
carcere
Omura
7. Ianuar.
1620.
etat. 69.*

E milite ac mercatore Societatis religiosus factus in Sinis, demissione ac pietate omnibus charus fuit.

Paupertas.

Nunquam verbo minùs amabili aut perturbato vllum alloqui est auditus. Illis utebatur quæ alij suo vsu attriuerant: vnde per ipsos triginta annos nunquam nouum quicquam quo indueretur admisit; vino quoque ac bellarijs nunquam vsus, nisi id facere iuberetur. Hunc inter labores Evangelicos in Iaponia martyrium sitientem, & expectantem in carcere Iaponico per

an-

annum & 22. dies tolerato,
tandem frigore, fame, para-
lysi, alijsque ærumnis con-
sumptum mors hodiè occu-
pavit. P. Carolus Spinola,
ærumnarum socius, ac lauda-
tor, de illius capillis decer-
ptū quidpiam Lipsanothece
suæ ad priuatam veneratio-
nē inclusit: & omnes qui vnā
cū eo in carcere luculentæ
in igne mortis gloriā oppe-
riebantur, de socio in cale-
stem libertatem siccā morte
asserto lati, & collachry-
mantes, præeunte Religioso
quopiam viro, *Laudate Do-
minum omnes gentes*, pro gra-
tiarum actione cecinere.

P. Paulus de Valle.

Nullis verbis explicare,
se posse aiebat quantā fuif-
set voluptate perfusus, cum
Cocini amplexum à S. Xa-

Lustan^o.
mortuus
Punicali
10. Ian.
1552. So-
cietatis ini-
tæ 5.

8 *Anni dierum illustrium*

Fides.

uerio accepisset. S. Xauerius vicissim illum *virum egregia virtute* vocat. In ora Piscaria, cum ad Bagadas pro concione vernaculo sermone diceret fidei ac morum normam tradens, repentè ab irruente barbarorum manu occupatus; probris, vinculis, cippo per mensem integrum oneratus; inediâque, ac tot etiam post libertatem adeptam, post maritimum discrimen (quod periculoso natatu euasit) incommodis vexatus est, vt ærumnæ tam variæ morbum illi, mortemque attulerint.

P. Franciscus Pintus.

*Ipse
occisus in
Brasilia
11. Ian.
1608.*

Angræ in Tertia à bono IESV dictâ insulâ natus, in Societate spiritualis Coadiutor, & Brasilorum per annos triginta magister A-

po-

postolicus, atque orandi ut
 auidus ita sciens fuit. Eum *Fides.*
 anno 1582. in Bahyensi Col-
 legio ægrum, & iam de spe
 vitæ depositum P. Iosephus
 Anchieta Prouincialis allo-
 cutus, iussit se ad magnos
 pro Deo labores parare: nec
 enim leuem manuum lotio-
 nem præcessurâ prius quàm
 æternæ ac cælesti mensæ ac-
 cumberet. Confestim ergò
 vestes illi porrigi præcepit,
 ac dixit: *Surge, age: atque* *Eucharis-*
tia.
ad Sanctissimum Sacramen-
tum te confer, gratias Deo pro
sospiate hac redditurus. Sur-
 rexit obedienter Franciscus
 repentinò sanus: templum
 adiit; gratias egit. Postmo-
 dum ad barbaros Tapoias
 missus, per famem, sitim,
 frigora, per aperta securi-
 bus ardua & impedita itine-

ra ad Ibiapanos vnà cum
 P. Aloysio Figheria pene-
 traui. Sed cùm obstinatè
 peruicaces illas ceruices
 Christi iugo per nullas ar-
 tes posset subigere, ac illi
 æterni Euangelij præcepta
 inuiti audirent; hoc die (vt
 habet Index MM) ab irruen-
 tium globo repetitis ictibus
 veçte ligneo est interemptus
 maxillis contractis, excussis
 oculis, cranio comminuto,
 in desertis Ibiapanæ monti-
 bus, eo ipso tempore quo
 operam dabat horis diuini
 officij recitandis. Socio ad
 necem quæsito, nec reperto,
 sæuitia omnis in sacram su-
 pellectilem furenter effusa.
 Corpus, barbaris quoque,
 deinde venerationi fuit,
 quòd dicerent, se beneficen-
 tiâ illius pluuiam è cælo in-
 sitien-

Oratio.

sitientes agros elicere. Hu-
ius nempe mortis gloriam,
ei P. Iosephus Anchieta præ-
dixerat sub symbolo ma-
nuum ante cælesti conui-
uium lauandarum.

P. Didacus de Alfaro.

Panamæ in America, Hi-
spano Regio Senatore Pa-
tre, ad mare pacificum natus,
anno 1614. Societati, ac po-
stea Indorum saluti se dedit:
& huic quidem tunc maxi-
mè, postquam ex aquis &
morte præsentissimâ Indi na-
tatoris operâ est ereptus.
Iunior cum esset, felici car-
minis venâ Deiparam, po-
stea ubique cultu quàm po-
tuit augustissimo, celebravit.
In Hispania inter studen-
dum, in Deiparæ vigilijs, &
Sabbatis, æquales suos ad
communem in cenaculo ver-

*Hispano-
Indus.
in Para-
quaria.
17. Ian.
1639.
ætat. 43.
Soc. 25.*

*Beatiss.
Virgo.*

Sabb.

Mortif.

berationem inuitabat: & valebat in plures exemplum. Aliquando noctem integrā impendit describendis in schedas plurimas hisce verbis: *MARIA sine originali peccato concepta*, quas ille schedas ante lucem singulis conclauium portis affixit; & sub immaculati illius mysterij tutela res ac spes suas persanctè collocauit, sæpè celebratis de illo votiuis sacris. In Vrbe Assumptionis Collegij Rector, & S. Inquisitionis commissarius, postea Reductionum Præses, ac omnibus omnia factus est, insigni animarum lucro. Ad amicum scripsit; se hostili Ethnicorum globo casurum: id quod barbari cuiusdam ex insidijs in eum iaculati manu factum, cum ille

Præuisa mors.

ille (omissâ quam capere poterat fugâ) Indis Christianis contra Ethnicos furentes, & sacris omnibus perinfectos, fidelis adesset, magno solatio animarum. ad quam ille mortem se per ascetica vnius mensis Exercitia secessu accuratissimo prepararat. Corpus illius insûmis caloribus per triginta leucas vectum, citra vllius tetri odoris molestiam.

*Exercitia
S. P. Ignatij.*

Mors.

Vincentius Alvarus

Scholasticus.

Cùm Goam pergens ad studia, à Mahometanis piratis captus fuisset, vnâ cum alio de Societate, minati sunt Saraceni sæpius, se lytrum pro duobus his non admissuros; daturus vtrumque ceruice præfectâ in mare præcipites, quòd Maho-

*Luftanus
ad urbem
Dabul.*

18. Ian.

1606.

ætat. 27.

Societ. II.

me-

*Fides.**Feria VI.**Oratio.
A. ors.*

meto, eiusque legi essent ad-
 uersi, & eam expugnarent.
 Interea feriâ sextâ, die apud
 illos Mahometo dedicatâ,
 Mahometani senaculo inito,
 diem illum celebri Christia-
 ni capitis sacrificio pro pia-
 culari victima cædendo so-
 lennem habere decreuere.
 Quocirca Vincentius in pro-
 ra tunc orans delectus est
 cuius Christiano capite reli-
 giones Mahometo persol-
 uerentur. Cùm se occiden-
 dum audisset, lætus quòd
 Christiani nomen sibi in-
 mortis obeundæ causam ver-
 teretur, Deo se totum, to-
 tum Deo in victimam ite-
 rum & iterum dedicauit, pul-
 chro iterum gaudio delibu-
 tus, & religiosè gestiens vs-
 que ad mortem, ac *Miserere
 mei, Deus,* canens. Sub ipso
 istu

ictu *Miserere*, aiebat, *anima mea, Iesu bone!* Aliqui ad ipsam Mahometi aram immolatum fuisse aiunt: sed ille se in fidei odium cædi lætus, Deo se vnicè consecrabat. Corpus in mare abiectū est.

Mancius Taichicu. Coad.

Religiosam pietatem eâ quâ istic præstabat pingendi arte alebat, & incitabat; pingendis Dei, Deiparæ, ac Cælitū imaginibus piè assidueq; intentus: quibus templū ornabat; vt fidei mysteria ob oculos poneret, fidemq; ac virtutis amorem exemplis accenderet. Exilium in fidei odium è patria sibi indictum pati maluit quàm in patria Christum & religionem exuere; ad quod inuitabatur. Post alia ergò perpeñu aspera hoc etiam

Iapon.
Macai.
20. Ian.
1615.
etat. 41.
Soc. 8.

Fides.
Imagines.

lu-

lubēs subiit, licet tunc æger; cum relegari iuberetur, ni Deos Patrios præ Christo eligeret. Morbo navigationis ærumnis incremente, Macai felix exul in cælestem patriam, ut spes magna est, appullus est.

P. Alphonsus de Castro.

*Iustanus.
In Molu-
cis
Ianuario.
1538.*

Vlyssiponæ aurifice Patre locuplete natus, à S. Xaue-rio in Societatem receptus, inter varia quæ à Barbaris perulit, cum fidem propa-garet, mansuetudine fuit omnibus admirandâ. Cibo vesceretur sinè oleo, sinè sa-le; ne palato placeret. In Maurica regione à Maho-meranis nudatus, & nauigio crucifixi instar alligatus, po-stea ad truncum vinc-tus, ver-beribus laceratus, sub dio cæli iniurijs, ac infestis be-
stio-

Mortific.

stolarum aculeis toto corpore expositus, promissis & crebris & grandibus ad Mahometi perfidiam inuitatus, *Fides.* cum fortissimè id negaret, iterum cruciatus, per octo dies inediâ miserabili vexatus, atque ad fidem deserendam iterum multifariam per dulcia & acerba inuitamenta tentatus, admirabili semper sibi cōpotis animi equitate, constantiâ, hilaritate, *Patientia.* capitis sententiam, & mortem ipsam ore blando, ac orans accepit. *Crux.* Araldus ait, eum S. Andreæ instar cruci alligatum, nudum soli, ac muscis expositum. Deinde sub costis securi saucio additi alij duo ictus. Cadauer ex littore in mare deturbatum, tertio die in eodem littore iterum repertum est splen.

splendens miro lumine, ac
 vulneribus sanguine recenti
 manantibus. Aiunt oculati
 testes; idem cadauer in sco-
 pulo per dies plures sedere
 visum, aquis in fornicis ferè
 modum supra curuatis. vnde
 illi admirabilitas, & apud
 Mahometanos etiam vene-
 ratio haud vulgaris; Rege
 quoque, magnitudine animi
 eius auditâ, dicente: *Quid
 simile nostri Caziqij? Car-
 nificum alij pustulis fædè
 exesi, & sacro igne ardentis,
 ululantesque; alij aliter pe-
 rière. Is qui sacrum eius
 calicem indignè tractauit,
 corpore miserè tumido ex-
 tinctus est. Addunt etiam
 hos dum interirent, Al-
 phonfi nomen implorare
 auditos.*

*P. Ioannes Vorshington
 25 Jan. V. pag. 413*

P. Fran-

P. Franciscus Paliola.

Ortu Nolanus, iam Sacerdos in Societatem nomen dedit. In occidentis Indias anno 1641. profectus, ibi sudavit magno charitatis, demissionis, ac auidæ ad agendum, & patiendum impigriritatis exemplo, vsque ad Sancti cognomentum ore vulgi illi datum. Inter orandū duo agebat potissimū; alterum, vt quicquid ageret, diuinæ gloriæ in sacrificium daret: alterum, vt gratiam obtineret, post sudorem, sanguinem quoque fundendi. In Insula Mindanao, vbi laborabat, eo voto potitus est, cū apostatam quendam sanctæ fidei reddere nitertur. Illum ad se sicariorum globo stipatum aduentare certior factus, ad supremæ lu-

*Itabus. in
Mindanao,
29. Ian.
1648.
Soc. 16.*

Oratio.

Fides.

B. P.

luctationis gloriam in genua sese supplex composuit, & MARIANVM rosarium pro moriendi tessera manu arripuit, victimæ in modum suprema expectans. Ita mortem opperienti sicarij lato cultro, seu gladiolo, ictum primum in maxillam latè atque altè ad extrema vsque colli adegere. Franciscus IESVM, & MARIAM dixit; & auerso vulnere lanceâ in tergo confixus, humiq; collapsus; iterumque lanceâ, & alijs truculentæ mortis instrumentis per transuersaria vulnera transuerberatus, pretiosam animam ita reddidit, vt optârat, Deo. Sacrâ altaris patenâ pro disco abusi barbari, calicem quoque sputis temerare ausi, ligneam Crucifixi effigiem columnæ

al-

a
f
f
d
p
m
n
gl
ne
ex
re
te
ill
lit
su
im
po
ha
se
in
ibi
fe

alligatam dirè ac sacrilegè
fustibus cæcidere: atq; sacri-
ficales etiam vestes variè lu-
dibrio habuère.

P. Richardus Bradleus.

Operarius laborum, &
periculorum amans ob ani-
marum lucra. Vnde cum
nil metuens, inter plumbeã
glandium grandinem, vul-
neratis militibus poenitentia
expiandis diligentiam naua-
ret, globo plumbeo in capi-
te ictus ille quidem est, at
illæsus; quia paulò ante mi-
litum quispiam prouidenter
suam illi cassidem in caput
impresserat. Manchesteriã
postmodum in carcerem ab
hæreticis in fidei Catholicæ
seminatores, ministrosque
infestè intentis coniectus,
ibi gloriosis ærumnis con-
fectus est. adeoque sola illi
vita

Anglus.
Manche-
strie
30. Ian.
1645.
ætat. 41.

Zelus ani-
marum.

Fides.

vita defuisse videtur ad mortem cruentam in causa tam nobili oppetendam.

P. Edmundus Donatus.

*Hibernus.
Corcagiæ
invento
mense, ac
die.
an. 1580.*

Hic Summi Pontificis literas ad Geraldinum Catholicæ militiæ Præfectum, cum deferret, ab hæreticis tentus; Limerici, in patria, in carcerem coniectus; Corcagiæ post carceris ærumnas & cruciatus in patibulo strangulatus, dissectusque, vitæ finem gloriosum in causa nobili reperit; eò quòd fidem Catholicam nec ipse vellet damnare, & alios ad illam adduceret, in eaque firmaret; Elizabethæ Reginae titulo illo liberâ voce damnato quo illa se caput Ecclesiæ dici haberique volebat. Hinc reus læsæ maiestatis, ac patibuli pro-

Fides.

nun-

nunciatus, & carnificatus est.

FEBRVARIVS.

P. Iulius Pasqualis.

In agro Brixienti natus, in occidentis India inde ab anno 1616. versatus, Cinaloam Mexicanam primus excoluit. Cinipas primus è lustris in coetum collegit; templa condidit; & ea istic egit ac passus est, quæ apud barbaros hætenus à nullo domitos & multa, & haud mediocria esse solent. Cini- pæ monilia gestabant è con- chylijs: Iulius Beatissimæ Virginis Matris insignitè a- mans, illis Rosarium, vt il- lud eius monilis loco gesta- rent, & alternis choris reci- tarent, persuasit. Primus ubique vadum, primus pe- ri-

*Kalendis
Februarij.
Italus.
caesus in
vico
Varo. hio-
rum. 1632.*

*B. V. Ro-
sarium.*